

DE  
DELECTV. MILITVM. APVD. ROMANOS.

DISSERIT

---

SIMVL. QVE

AD

ACTVM VALEDICTORIVM

D. V. IDVS. MAII. A. R. S. c1616cclvii.

HORA. DECIMA

INSTITVENDVM

EA. QVA. FIERI. POTEST. OBSERVANTIA

INVITAT

M. IOANN. GEORGIVS. HAGER

RECTOR.

---

CHEMNICII

LITTERIS. STOESSELIANIS.

B.

~~A. XXI. 22.~~

A. ~~CXXI. 22.~~

b. II. Ill. diss. A  
A. 4, 45

A. 174  
8.4 A. 174(45)





e delectu militum Romanorum, praecipue peditum, verbis potissimum POLYBII VEGETIIQUE nuper egimus: In praesenti hoc argumentum pace Tua, LECTOR BENEVOLE, ulterius persequi placet. Delectum hunc militum apud Romanos olim duplicem fuisse in historiarum relatum legimus monumentis, *ciuium* nimirum, vel *sociorum*. Milites *ciuium* vel *pedites*, vel *equites* fuerunt. Pedites antiquissimis temporibus, florente republica, sub initio cuiusuis anni e tribubus honoratissimis et per classes praesidentibus consulibus in capitolio a tribunis legebantur, nolentes vero aut vinculis, aut direptione et venditione bonorum, aut ipsorum venditione cogebantur, Quibusdam a militia concedebatur vacatio, quae triplex erat vel *aetatis*, vt quinquagenarii, vel qui viginti stipendia meruerant, vel *honoris*, vt magistratus et sacerdotes, vel *beneficii*, quibus praemium senatus, aut populus, dedit. Succedente deinde tempore sub imperatoribus Romani tyrones fortes, honestos, modestos, prudentes et omni censoria nota vacuos legebant adhibitis etiam *conquisitoribus*, qui extra urbem in agros et colonias ad indagandam, conquirendam et conducendam iuventutem sunt missi. Quo facto tyrones conscripti, quotidianis exercitiis per quatuor menses praeparati, in legiones diuisi, stigmatibus signati et matriculis inserti iurabant. Et haec de peditibus nuper copiosius absoluimus. Nunc de *equitibus* vt agamus ordinis ratio suadere videtur.

*Equites* apud Romanos, vt praeclarissimus CAROLVS FRIDERICVS MENSERVS recte docuit (a), illi dicebantur, qui in ordinem equestrem inter senatorium et plebeium, medium, legebantur et equo publico, cuius curam gererent, vel a Censore, vel ab Imperatore donaban-

(a) In elegantissima Diss. de annua equitum Romanorum Transuectione sub praesidio celeb. IOAN. ERHARDI KAPPII Lips. 1734. habita.





nabantur, eoque stipendia in bello facerent, hinc antiqui equitare dicebant equo publico merere. Nomen eorum, teste PLINIO (b), saepe variatum est, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. CELERES sub ROMULO regibusque appellati sunt, vel a CELERE, illorum primo duce REMIque interfectore, de quo OVIDIVS (c) ita:

Hoc CELER vrget opus quem Romulus ipse vocarat;  
Sintque, CELER, curae, dixerat iste, tuae.

Vel a graeco κέλης, aeolice κέληρ, hoc est, equus (d). Vel auctoritate DIONYSII HALICARNASSENSIS (e) a celeritate, quia Romani promptos et ad opus veloces CELERES vocabant. Deinde post reges exactos FLEXVMINES, FLEXVMENTES vel FLEXVTES a flexendis forsitan equis; Postea TROSSVLI, quum oppidum in Thuscis citra Volsinios passuum IX. M. sine vlllo peditum adiumento cepissent eius vocabuli, idque duravit vltra C. Gracchum. Tandem a latino *equus* EQVITES; Iunius certe, sic pergit PLINIUS l. c. qui ab amicitia Gracchi Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: quod ad equestrem ordinem attinet, antea *trossulos* vocabant, nunc *equites*, ideo, quia non intelligunt *trossulos* nomen quid valeat, multos pudet eo nomini appellari: et causam, quae supra indicata est, de oppido scilicet Thuscorum Trossulo occupato, exponit, inuitosque etiamnum tamen *trossulos* vocari (f).

Ordinis huius equestris auctorem ROMVLVM fuisse LIVIVS testatur

) ( 2

(b) Histor. Nat. Lib. XXXIII, c. 2. p. 447. Tomo III. Edit. IOAN. FRID. GRONOVII, L. B. 1669. in 8.

(c) Fastor. Lib. III, v. 837.

(d) Sic statuit CHRISTIAN. WILHELM. EYBENIVS in Diss. de ordine equestri vet. Rom. quae extat in ALBERT. HENR. de SALLENGRE Thesauro Antiquit. Rom. T. I. p. 1097. Hagae Comit. 1716. in fol.

(e) Lib. II. p. 86.

(f) Sic laus in opprobrium abiisse videtur. Crediderunt enim *trossulos*, quasi *torosulos* a torosa pinguedine appellari. Vid. NON. MARCELLVS in Corpore Auct. Lat. Lingu. p. 510. Et ab hoc distorto *trossulo* forsitan derivatur teutonicum nostrum *Tross*.



statum. Eodem tempore, *inquit* (g), et centuriae tres equitum conscriptae sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Tatienses appellati. Lucerum nominis et originis causa incerta est. Et paucis interiectis sic legimus (h): multitudini gravior fuit Romulus, quam patribus, longe ante alios acceptissimus militum animis, trecentosque armatos ad custodiam corporis (*Gardes du Corps*) quos Celeres appellavit, non in bello solum, sed et in pace habuit. TVLLVS HOSTILIVS deinde hunc equitum numerum auxit et decem turmas equitum ex Albanis legit (i). L. TARQVINIVS PRISCVS equitem maxime suis deesse viribus ratus ad Ramnenses, Tatienses et Luceres, quas centurias Romulus scripserat, alias addendas constituit. Sed negante Accio Nauio augure nequicquam de equitum centuriis mutauit, numero alterum tantum adiecit, vt mille et trecenti equites in tribus centuriis essent, posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant, appellati sunt (k). SERVIVS TVLLIVS tandem exercitu pedestri ornato distributoque equitum ex primoribus ciuitatis XII. scripsit centurias, sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratae erant nominibus, fecit (l). Et haec de equitibus sub regibus.

Vigente autem Republica et deinde sub imperatoribus alia eorum fuit facies. Olim, vt POLYBIVS narrat (m), posteriore quidem loco moris erat deligere equites, et quaternis peditum millibus adiungere ducentos: Nunc, (scilicet aetate POLYBII) priore loco eos centuriant e censu iam ante per censorem electos atque illorum trecentos unicuique legioni assignant.

De aetate equitum legendorum POLYBIVS silet; DIO CASSIVS vero nos reddit certiores (n): in equestrem statum allegendos *octodecim* annos

(g) Lib. I. c. 13.

(h) LIVIVS Lib. I, c. 15.

(i) LIVIVS L. I, c. 30.

(k) LIVIVS L. I. c. 36.

(l) LIVIVS L. I. c. 43.

(m) Histor. Lib. VI, c. 18. p. 650.

(n) Lib. II, p. 477.



annos aetatis habere debere. Hac enim aetate potissimum et corporum firma affectio et ingenium conspicitur. Sed reperies quoque equites, qui vel anno aetatis XVI. & XVII. meruerunt stipendia.

Ad *genus* eorum quod attinet obseruamus, tempore reipublicae solos *ingenuos*, moribus et virtute conspicuos, sub imperatoribus autem haud raro quoque *libertos* & *libertinos* inter equites fuisse receptos. Illi soli proprie sunt dicti equites, qui equo publico meruere, quem a cenfore acceperunt. Ad hunc equum emendum equiti ex publico data sunt dena millia aeris, quae centum et viginti quinque imperiales faciunt; ad alendum vero in singulos annos bina millia aeris, hoc est viginti quinque imperiales. Testatur hoc LIVIVS, ita scribens (o): ad equos emendos dena millia aeris ex publico data, et quibus equos alerent, viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent.

Quo vero equites dignitatem suam tueri possent, nemo nisi opibus instructus eligebatur. Requirebatur ab equite eligendo maximus, quem SERVIVS TVLLIVS (p) instituit, *census* centum millium aeris, hoc est, mille ducenti et quinquaginta imperiales. Quadringenta deinde tertio, h. e. duodecim mille ducenti et quinquaginta imperiales requirebantur. Electi igitur equites et publico equo donati iurabant sicuti pedites, legionibus adiungebantur, et decem stipendia facere tenebantur. Annulus aureus et ius vtendi angusto clauo et in theatro in quatuordecim ordinibus sedendi ipsis concedebatur. Aliquando publica etiam iudicia exercebant, vel vectigalia conducebant, hinc *publicani* dicti.

Quoniam vero Romani probe sciuerunt, oculum domini saginare equum, *cenfuram*, *probationem* vel *recognitionem* equitum A. V. C. cccx. vel cccxi. *quinquennem* institutam, deinde *annuam* et *semestrem* exercebant. Haec cenfura primum subiecta erat censoribus, deinde imperatoribus, qui in sella curuli in foro sedentes non solum in equites per

)( 3

prae-

(o) Lib. I, c. 43.

(p) LIVIVS I, c.



praecones citatos manumque sua equos adducentes illorumque in vitas et mores, sed etiam in equos eorumque curationem inquisiuerunt. Si nihil reprehendendum deprehenderet censor, equi dixit: traduc equum; Si vero poena aliquid dignum inueniret, ademit ei equum, vel vendere iussit, vel alia ratione notauit. Equites publico equo donatos, qui etiam *militares* appellabantur, nunc mittimus, et ad eos nos conuertimus, qui *equo suo et privato* stipendia fecerunt. Illorum originem LIVIUS tradit (q): Repente, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt. Et haec de *militibus cuium*.

Altera pars virium romanarum erant SOCII, de quibus POLYBIVS (r) ita: Eodem etiam tempore, sub initio scilicet anni, qui consulatum gerunt, magistratibus sociarum in italia urbium, ex quibus auxilia eo bello secum militare volunt, denuntiant, numerum et diem locumque ad conueniendum edicentes iis, qui lecti fuerint. Ciuitates conscriptos a se milites et sacramento adactos, eodem quem iam exposui modo, duce etiam constituto et Quaestore, mittunt. Quibus ex verbis adeoque discimus *Sociorum* nomine proprie totam Italiam intelligendam esse. Socii suis sumtibus, frumentum si excipias, militarunt. Sed Socii Romanorum in bello exterarum nationum, vt FESTVS docet, AVXILIARES dicebantur, qui milites erant mercenarii.

Et haec ratio deligendi milites ciuium et sociorum Romanorum ordinaria videtur. Extraordinaria quoque plerumque in casu necessitatis in usu erat. Nimirum ex ciuibus, e sociis, ex equite et pedite *veterani*, militiae periti, validi et voluntarii post emerita et impleta stipendia rogatione et precibus per litteras aut nuncios nominatim euocabantur, proptereaque EVOCATI appellabantur. Nonnunquam duces alloquebantur ciues: Qui rem publicam saluam esse vultis, me sequimini. Confirmat hoc DONATVS ad verba TERENTII (s):

*Sima-*

(q) Lib. V, c. 7.

(r) Lib. VI. l. c. VEGETIVS Lib. II, c. 2. p. 30.

(s) Eunuch, Act. III. Sc. 7. 2.



*Simalio, Douax, Syrisce sequimini.* Eiusmodi militia, ait, repente suscipitur et dicitur *euocatio*, ubi dux alloquitur ciues: qui rem publicam saluam esse vultis, me sequimini. De qua euocatione VIRGILIVS (t):

Iam pridem resides populos, defuetaque bello  
Agmina in arma *vocat* subito, ferrumque retractat.

Sub vno militabant vexillo. Praefectum suum habebant. Immunes ab excubiis, operibus valli et castrorum erant, et praecipuo honore et insignibus afficiebantur. Tumultu gallico conflato delectus militum extraordinarius obseruabatur extemplo, in quo teste LIVIO (v) sine vlla vacationis venia opificum vulgus et sellularii, minime militiae idoneum genus, exciti dicuntur.

Et haec de delectu militum apud Romanos. Nunc iuvenes quidam egregii, perindustrii atque modesti in arenam producendi sunt, qui huc vsque sub vno vexillo in schola nostra, et in societate teutonica, strenue militarunt.

I. IOANNES FRIDERICVS SCHROETERVS, Chemnicenf. actum nostrum *orat. lat.* de sacrificiis aperiet et *carmine teut.* finiet, quo commilitonibus suis discessuris faustissima quaeuis precabitur.

II. IOAN. GOTTLIEB FEILGENHAVERVS, Frankenberg, *orat. teut.* animum fortem atque constantem in actionibus necessarium demonstrabit.

III. IOAN. FRID. HESKE, Chemn. *orat. gall.* in originem ordinum equestrium inquiret.

IV. CHRISTOPHORVS HOFMANNVS, Dittmannsdorf. per septem et quod excurrit annos in schola nostra bonarum litterarum studiis diligenter inuigilauit progressusque haud contemnendos in lingua hebraea, graeca latina et gallica fecit. Neque culturam linguae nostrae

(t) Aen. Lib. VII, v. 693.

(v) Lib. VIII, c. 20.



strae vernaculae neglexit. Varia diligentiae edidit specimen. Nimirum A. 1755. de *utilitate linguarum* teut. 1756. de *uxore Lothi in columinam salis mutata* teut. peroravit, et *inaugurationem noui templi Chemn.* carm. lat. decantavit. A. 1757. de *pace* recitavit orat. graecam. Nunc academiam Vitebergensem visitaturus grato animo patronorum praecipue Iuris consultissimi nostri Lic. EDELMANNI et nobilissimi FL-SCHERI, telonarii regii, benevolentiam praedicabit *carm. teut.* praemissa *orat. teut.* de vita Polycarpi. Hunc excipiet

V. CHRISTIAN. FRID. CLAUSIVS, Hartauiensis, pius, modestus et industrius per complures annos doctrinae nostrae alumnus, qui in iis, quae ab humanitate nomen habent, studiis et linguis laudabiles sibi comparavit profectus, quorum specimen publice nobiscum communicavit, quum A. 1755. de *praemiis olympicis*, et A. 1756. de *Lisboa terrae motu vastata* diceret teut. Nunc valedicturus *orat. graeca* de contemptu linguae graecae perorabit, quo facto ab eorum iniquissima mente longe remotus, qui ingrati beneficiis fruuntur et tacite abeunt, gratissimum animum suum publice profitebitur, et praesertim egregia a iurisconsultissimo doctissimoque D. WENDTIO, Praetore nostro meritissimo et ab aliis patronis sibi exhibita beneficia laudabit et academiam Vitebergensem repetet.

Nunc VOS, *Patroni optimi, fautoresque litterarum cum cura colendi,* etiam atque etiam oramus, ut honorifica VESTRA praesentia temporibus hinc turbulenti abituros benevole condecorare velitis, quod beneficium et ego et ipsi nullo unquam tempore oblitterabimus.

P. P. Chemnicii d. 6. Maii A. R. S. 1757.



Coll. Diss. A 174, misc 45